

CANCELL:
MARTIS B:
. 17 17:

oo Dg

22

DISSE^תRATI^תO HISTORICO-MORALIS
DE
F A T I S
STVDII MORALIS
INTER EBRÆOS
QVAM
CONSENTIENTE INCLYTA FACVL-
TATE PHILOSOPHICA
ACADEMIAE LIPSIENSIS
IN MAJORI PRINCIPVM AUDITORIO
PUBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI
SISTET
PRAESES
M. HENRICVS SCHARBAV
LVBECENSIS
HORIS ANTE-MERIDIANIS SINE ET
POST-MERIDIANIS
CVM
RESPONDENTE
TITO SCHRÖDERO
VTERSA - HOLSATO
DIE III. FEBR VARII A. M DCC XII.
LIPSIAE,
LITTERIS GOEZIANIS.

DISSECTATIO ISTORICO-MORALIS
DE
VIRO
*EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO ET
EXPERIENTISSIMO*
DOMINO
JACOBO
STOLTERFOTH
MEDICINÆ DOCTORI
LONGE CELEBERRIMO
INCLYTÆ LVBECENSIVM REIPUBLICÆ
PHYSICO MERITISSIMO
FAVTORI SVO SINGVLARI

D. D. D.

M. HENRICVS SCHARBAV.



DE
FATIS STUDII MORALIS
INTER EBRAEOS

§. 1.

Airamur merito in gente Ebraea divinæ benedictioni Abrahamo & posteris factæ respondentes effectus plane mirabiles. Ecquis enim non agnoscit gentis hujus præ aliis felicitatem in spiritualibus æquè ac in temporalibus ? Deposita apud eam instrumenta salutis , promissus ex Abrahami posteris Salvator , tot tantique Doctores, Israëlitarum in primis commoda quarentes , infallibilia hujus rei documenta exhibent. Regimen illorum Theocraticum, uti & præstantia terra Cananæ , quam inhabitabant , impugnata quidem nuper à J. TOLANDO , (1) sed à JACOBO RAYO (2) defensæ & vindicata , & quæ plura sunt alia , idem comprobant. Poterunt etiam summo jure felicitati hujus gentis adscribi sanctissimæ & ab ipso Deo præscriptæ Leges, ad morum in primis sanctitatem facientes , quibusque omnis de officiis atm-

A

plitu-

plitudo continetur. In quarum classem referenda videbantur statuta Noachicadista, (3) quod omnes ex Noah descendentes obligare dicuntur, cum in ea in primis prosapia, quae ab Ebero ebraea vocata est, floruerint & obtinuerint, nisi ipsi Judæi per intelligentem eos, quos alibi גּוֹיִם. אַוְמָתָה & חֻלּוֹת & אַוְמָתָה appellant, sibique post benedictionem Abrahamo a Deo datam, ab Abrahamo nomen attraherent, reliquis gentibus contradistinctum (4). Quod si vero respiciamus sanctissimas per ministerium Moses a Deo publicatas leges, majori jure de Israëlitarum Republica poterit dici, quam de Romana pronuntiat Livius sub initium Historiæ: *Nulla unquam Respublica nec sanctior nec bonis exemplis ditor fuit.*

(1) In originibus Judæis in primis p. 117. n. 6. sq. quas in opere de Republica Mosaica amplius deducere promisit. Junctim prodierunt cum ipsius *Adelfidemone*, seu *Tito Livio a superstitione vindicato*. Haage 1709. Ubi inter cetera, quæ male defendenda suscipit, ex *STRABONIS LL. rerum geographicarum* ostendere nititur, regionem judaicam, fuisse sterilem, faxosam & ab optimis rebus vacuam: in primis ibi *HUETIUM* ex recentioribus, & ex antiquioribus *ELLESBIIUM* sibi refutandos sumit. (2) In defensione religionis nec non Moses & gentis Judæi contra *TOLANDUM* Ultraj. 1709. vid. quoque *Dissertatio numero A. MARTINI de Praestantia terra Israëliticae Jenæ habita*, itidem contra *TOLANDUM*. (3) recentur isthac in *Gemara tr. Sanbedrin. c. VII.* הנרכן שבע מצור נצטו בנווחרין ז' וכרכת השבטים ועבוזה דרא זגורי עדרות ושפיקות רומים ואבר מן החיה Doctores nostri docent: septem precepta injuncta sunt Filiis Noah: de iudiciis, execratione nominis divini, idolatria, incestu, homicidio, membro animali vivi

non

non comedendo. vid. MAIMONIDIS in *Meditatione* c. 9. Prostant quoque de iisdem commentationes eruditorum: FRISCHMUTHI & SELDENI opus de jure nature & gentium *juxta disciplinam Ebreorum.*

(4) vid. quæ docet 1. c. 1. SELDENIUS I. 1. c. 10. p. 117. ex *gemara tr. Nedarin*, c. 3. *שכל העורם יצא* ibid. *quod omnis homo descendit de filiis Noah*. non ubi & paulo post: *מכל בני נוח כרין ריאקרט אברהם* ex complexu filiorum Noachi, postquam benedictionem accepit Abraham, vocati sunt de nomine ejus.

§. II.

Quam incurii autem tantæ felicitatis æstimatores fuerint, non modo sapientia indicatum fuit a Doctoribus eorum, sed & cuilibet rem consideranti ad oculum patebit. In primis in studio morali excolendo omni fere ætate ira deviarunt, ut etiam si sana doctrina sub Prophetis vigeret, vita tamen malignitate incredibili vitia mentis sua proderent: Quæ negligentia deinde cum depravatione se exseruit, ubi post captivitatem in primis Babyloniam, cessantibus Prophetis, suos in moralibus errores publice proponebant defendebantque. (1)

(1) Exprimam id verbis Dn. Joh. BARBEYRAC, quæ habet in præfatione Translationis sua operis Puffendorfiani de J. N. & G. ubi historiam disciplina moralis exponit: *Parmi les Juifs, depuis, qu'il n'y eut plus de Prophète, c'est à dire, après la captivité de Babylone, les Docteurs, & les Interpretes publiques de la Loi, virent insensiblement à corrompre la Morale, bien loin d'en développer les véritables principes, & de les pousser, dans toutes leurs conséquences, comme ils auroient*

pour le faire aisement, avec le secours de la revelation,
dont ils étoient les depositaires.

§. III.

Hæcque summa erit præsentis Dissertationis, ut scilicet exponam Historiam philosophiæ seu studii moralis, quod inter Ebræos floruit. Cum vero non semper eadem hujus studii facies apparuerit, neque Ebræi satis ordinate doctrinas morales exposuerint, optime in hoc instituto forte versabor juxta seriem temporum omnia exponendo.

§. IV.

De primis Ebrææ gentis parentibus idem omnino dici poterit, quod de priscis temporibus generatim pronunciat HENR. JUL. SCHEURLIUS: (1) Tunc temporis optimi quique bene agere quam bene disserere malebant, præcepta erant paucissima: Imopreceptorum gnari plures tunc nascabantur, quam bodefiunt, ubi præceptorum, dogmatum atque legum, neque legem neque numerum, neque modum habemus. ABRAHAMUM enim, quem hic primum nominandum puite, non tam in libris consignandis occupatum fuisse mihi persuadeo, (2) quam ut integritate morum & sanctitate vitæ documentum exhiberet de non exiguis in morum studio profectibus. Habuitque in prosapia sua imitatores plures felicissimos ISAACUM scil. IACOBUM, (3) in primis etiam JOSEPHUM; de cuius integritate morum in officiis erga Deum & alios observandis exactitudine & prudentia plane extraordinaria sacra passim loquitur pagina, ut quadret egre-

gregie in eosdem, quod de Christianis priorum seculorum DALLÆUS (4) docet: Videntur plerique illorum temporum fideles satis habuisse fidem suam fulgore vita inculpatae in hominum cordibus inscribere, de libris vero scribendis parum laborasse.

(1.) In *Bibliographia moralis* §. 5. (2.) contra quam plures docuerunt. Ita enim tribuitur illi liber tum in ipso libri titulo tum etiam ab *autore libri Iudeanachasim v. prolixius de eodem BUXTORF. Biblioth. Rabb. p. m. 73. sq. & prater citata ab eodem etiam Raschi ad Berachoth f. 55. a. l. 33. conferatur quoque Job. LENT schediasma historicoo-philologicum de *Judeorum pseudo-Mespis c. i. §. VII.* Prodiit inter alia hic liber cum versione & notis *Rittangelii, a. 1642. Amstelod. Pariter ex haereticis antiquis Sethita jactabant apocalypsin quandam Abrahami. & circumferebatur etiam liber supposititus sub titulo: Assumptio Abrahami; de quibus aliisque vid. LAMBECHI prodromus historie literariae L. I. c. VI. edit. Fabrit. p. 48. 49. sq. conf. Dn. D. J. A. SCHMIDII Dissertation Pseudo-vetus Testamentum. p. 35. ubi inquirit, an diversi sint libri ἀπολαύψις & ἀνάληψις Abrahami, an non? (3.) hunc ipsum Scriptura laudat ceu יְהוָהvirum integrum scelerisque purum, quod maxime vivendi ratione ostendit. Etsi MENOCHIUS L. VII. c. 1. quest. 2. de Republ. Ebraeorum-nimis hic in scripo nodum querat. ONKELOS etiam in paraphrasi chaldaica verba de Jacobo proleta Genes. XXV. 27. reddit בֵּית אֹפֶל נָא וְשַׁבְּאֹהָלִים quasi synagoga extiterit quedam tunc temporis quam frequentaverit. De libris, qui sub ejus nomine circumferuntur, sub titt. *scala Jacobi, Testamentum Jacobi*, vid. LAMBECHIUS l. c. VII. p. 53. sq. & Dn. D. J. A. SCHMID. l. c. (4) constant haec ex scriptura S. Conferri meetur PHILONIS βίος πολιτειῶν it. JUSTINUS Hist. L. XXXVII. c. 2. (5) DALLÆUS de vero usu Partium l. I. c. I. p. 4.**

S. V. *Quis vigor studii moralis tempore servitatis
 Ægyptiacæ inter Israëlitas fuerit, non adeo constat, &
 quicquid hac de re sentiant alii, meris id niti conjet-
 turis persuasus omnino sum. Illud vero tam certum
 quam quod certissimum, sub Mose, qui libertati re-
 stituit sub Ægyptiis haec tenus oppressos Judæos, jacun-
 dissimam hujus studii apparuuisse faciem, sapientissi-
 mum quippe Numen, summa omnis Scientiæ thor-
 ills capita, brevissimis inclusa præceptis, proprioque
 manu tabulis insculpta, hujus Mosis ministerio com-
 municavit cum Israëlitis. De quorum perfectione, quod-
 que omnia divini humanique juris capita comple-
 etantur, egregie differit B. GERHARDUS. (1.) Et-
 iam ea, quæ in externis sibi accepta essent, de Per-
 sonis, Locis, actionibus, tempore & quæ præterea suo
 cultui destinata esse volebat, egregie ex ore Dei eos-
 dem edocuit. (2.) Ubi quidem intolerabilis eorum
 est temeritas, qui nuper magno nisu defunderunt,
 ceremonias hasce esse reliquias gentilismi, quas con-
 servare Deus voluerit, partim ut attemperaret sese di-
 vina bonitas receptæ haec tenus Israëlitarum inter gen-
 tiles consuetudini; partim ut avocaret eo melius ani-
 mos eorum a reliquis ritibus intolerabilibus. (3.) cum
 nemini non notum sit, toties in Scriptura S. innui sco-
 pum harum legum ceremonialium esse, Christum &
 beneficia ejusdem repræsentare, & signorum nota-
 rumque instar, a reliquis gentilibus Judæos discerne-
 re: insuper etiam velut externa quadam paedagogia
 coercere Judæos, ne gentilium idolatriam imita-
 rentur. (4.) Neque minus de egregio inter Israëli-
 tas*

tas morum scientiæ flore, leges, quas forenses appellant, testantur, ad politiæ suæ constitutionem conservationemque apprime facientes, ubi ipse Deus vices Regis inter eosdem gerebat more nunquam alias usurato.

(1.) in LL. loc de Legi Dei §. 13. p. 5. a. (2.) conferantur qui de his ex instituto egerunt. (3.) egerunt id JOH. MARSHAMUS in canone Chron. & JOH. SPENCERUS de legibus Ebrœorum ritualibus earumque causis it. PATRICKUS in commentario anglicè super Leviticum conscripto. (4.) vid. B. GERHARDIUS de Legi ceremoniali, Dn. D. WERNSDORFIUS in recentioribus de causa Domini controversiis, WITSIUS in Ægyptiacis aliisque.

§. VI.

Duravit hæc rerum facies usque ad posteros, & declinantibus licet aliis vita pravitate ab hisce tam egregiis institutis, semper tamen alii reprehendebantur in hac gente, qui partim vita, partim scriptis, sana moralis disciplina præcepta tradebant. Post JOSUAM inter Judicesdiu superstes erat PINEHAS, olim Zelotes & vindex divinorum præceptorum laudatissimus, (1) posthæc sine dubio præco & testis singularis divinæ in Israëlitas bonitatis. SAMUEL itidem & vita & doctrina eruditiv populum Dei. Deinceps Imperium penes Reges esse cœpit; Inter quos DAVID (2) & SALOMON (3) elegantissima de moribus præcepta non cum suo solum comunicarant populo, sed & in scripta retulerunt, acti a divino Spiritu inter scribendum & ad scribendum eodem Duce incitati. Hos subsequentium Regum temporibus exceptit sancta divinorum

rum

rum Prophetarum cohors in eodem studio per immediatam Dei inspirationem & agitationem curren-
tium, qui nec iis deerant, cum durum captivitatis ju-
gum sustinerent.

(1.) de facto ipso conf. B. GERHARDUS LL. de Magi-
strata §. 396 & qui recentius Pineham Zelotem exhib-
uerunt. Circa diuturnum ipsius sacerdotium non
desunt Judæorum commenta. JONATHAN in Targum hanc explicationem exhibit Numer. XXV, 12.
promisisti ipsi Deum : **יְהוָה קָדוֹשׁ בָּרוּךְ הוּא**
מֶלֶךְ קָדוֹם וְתִוְתַּחַת לְמִבְשָׂר נָאלוֹתָא בְּסֻוףָּה
פָּדוֹסָ פָּאֵס & (dixisse quasf.) confituum an-
gelum fæderis, & vivet perpetuo ad annunciatam
redemptionem in fine dierum. quasi sit angelus ille fæde-
ris, de quo Malach. III. conf. omnino *Dissertatio*
FRISCHMUTHI de Angelo fæderis c. 2. §. 2. sq. Verum ta-
men est, du fuisse superstitem Pineham v. Judic. XX.
28: (2.) Quod scriptis docebat, ipsa praxi compro-
babat David; licet BAYLE in dictionario suo sub vo-
ce *David* in eo totus sit, ut ostendat, quanta vir hic
sanctus flagitia commiserit. Ita inquit p. 926. prioris
edit. On croit ordinairement, que son adultere avec
Bathsabee, le meurtre d' Urié, le dénombrement du
peuple sont les seules fautes, qu'on lui puisse repro-
cher, c'est un grand abus. Il y a bien d'autres cho-
ses à reprendre dans sa vie, &c. in recensione harum de-
inceps in notis prolixus est. Sed vindicias pro eodem
conferserunt GRODDEKKIUS duabus Dissertationi-
bus it. JOH. LANGEMAKE *Diaconus Colmar.* in
P. Bayls falscher Beurtheilung des Königs Da-
vids Tychop. 1711. vid. etiam Dh. D. J. A. DANZ,
Fautor & Praeceptor noster etatem colendus in Dissert.
crudelitas Davidis mitigata. (3.) nihil sane exqui-
situs in hoc studio apparuit unquam, quam *Ecclesiasti-*
fies & Proverbia Salomonis. Ethicam hic contineri
ait

ait EUSEBIUS de Preparatione Evangelica l. 2. c. 2. it.
I. IV. c. XXII. p. m. 143. H. E. dicit: antiquos Proverbia
 Salomonis vocasse πανάρετον σοφiar sapientiam omni-
 um virtutum precepta continentem, conf. HENR. VA-
 LESIUS in notis. Mirum adeo videri poterat, scepti-
 ci simi arguere virum ab omni erroris periculo dum
 haec scriberet alienisimum, quod tamen fecit *aut. ob-
 serv. XIII. Tom. VIII. observ. Hallens.* unde & non im-
 merito censuram expertus est *Autorum derer unschul-
 digen Nachrichten* a. 1705. ordine tertio p. 101 n. IV.

§. VII.

Jubar atque splendor scientiarum, quo He-
 bræa gens reliquas perfudit, qui animum & studia ex-
 colere desiderabant, una vexit secum æstimium scien-
 tie moralis. Quomodo antiquissimis temporibus,
 Chaldaei, Ægyptii, Persæ, Arabes, aliquæ sua ab E-
 bræis accepérint, docuit brevibus VINCENTIUS
 PLACCIUS. (1.) Qui idem adducit ex Græcis EU-
 POLEMUM, ARTAPANUM, ALEXANDRUM.
 CORNELIUM POLYHISTOREM &c. &c. (2.) qui
 totam Philosophiam Ebræorum ex ipsorum scriptis
 græcè reddiderint; sed quorum omnium nihil ferè
 præter nomina temporis injuria reliquit. Certiora sunt
 quæ ostendunt, sapientissimos plerosque, qui pretium
 aliquid philosophiae morali posuerunt, plura ab E-
 bræis accepisse.

(1.) *de morali scientia augenda ad BACONIS de VERU-
 LAMIO de dignitate & angimento scientiarum Lib. VII.
 C. i. Text. II. p. m. 23. sq. (2.) ibid. p. 22. conf. quoque
 THOMAS HYDE de religione Persarum, c. I. p. 7. sq.*

B

§. VIII.

§. VIII.

PYTHAGORAS , qui Italiae maximos sapientiae suae fructus communicavit , ex hisce rivulis sua irrigavit arva . Docet id ORIGENES (1) ex HERMIPPO qui *in primo de Legislatoribus* tradiderit : Pythagoram a Judæis traduxisse suam Philosophiam . Idemque ex CLEMENTE ALEXANDRINO probat Dn. D. BUDDEUS . (2.) Evidenter LACTANTIUS (3.) contrarium prorsus videtur asserere , qui se mirari , ait quod cum Pythagoras amore indagandæ veritatis accessus ad Ægyptios & Magos & Persas usque penetrasset , ut earum gentium ritus & sacra cognosceret , ad Iudeos tantum non accesserit , penes quos tunc sola erat & quo facilius ire potuisset . At quamvis cum aliis nolim asserere , Palæstinam istum accesuisse ; poterat tamen eosdem audire in Ægypto & Babylone ; quod in his regionibus frequentes erant Judæi . Adducatur a Dn. D. BUDDEO locus ex CLEMENTE ALEXANDRINO asserta a nobis satis confirmat , et si concedatur , eum in Judæa nunquam fuisse : Pythagoram , scilicet , maximè præ aliis Philosophis usum fuisse Legislatore , (Mose nimurum) ut conjici potest ex ipsius dogmatibus . Immortalitatem quidem animæ quæ omnis moralis disciplina fundamentum est , expresse ab Ægyptiis accepisse Pythagoram asserit docetque AUGUSTINUS STEUCHUS . (4.) Licet & hanc alia via investigare potuisset . Et qui perpendit doctrinam ejusdem de ultimo hominis omnisque Philosophia fine quem ὄμολωσιν τε θεῖ statuebat . (5.) de mediis huc ducentibus : veritate , (6.) mortis fre-

frequenti meditatione, (7.) cognitione sui ipsius, purgatione, conversione ad se ipsum & ascensi sive arctiori cum Deo unione, (8.) vestigia deprehendet altioris sapientiae ex doctrinis inter Ebraeos solum cognitis haustæ.

(1.) Contra CELSUM L. I. p. 13. edit. Spenceri (2.) in Dissert. de Peregrinatione Pythagor. (3.) divinarum Institutionum L. IV. de vera sapientia. c. 2. (4.) de perenni Philosophia l. IX. c. 3. p. m. 494. (5.) docet hoc prolixo ex HIEROCLIS prefatione ad carmina aurea, vid. ed. P. Neehdam Cantabrig. 1709. pag. 11. it. ex PSELLO, STOBÆO, CLEMENTE ALEXANDRINO aliisque JOH. SCHEFFERVS de natura & constitutione philosophiae Italicae c. VII. p. 42. sq. (6.) Id ex STOBÆO Serm. XI. l. c. p. 47. patet. Πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς, τὶ ποιῶσιν ἀνθρώποι Θεοῖς οὐοιον, ἐφ' ἑαυτοῦ ἀληθεύεται. (7.) Describant enim juxta JAMBlichVM apud SCHEFFERVM l. c. c. VI. p. 37. Philosophiam per μελέτην θαύματα καὶ χωρίσματα ψυχῆς απὸ σύμματος. (8.) Probat hæc omnia l. c. SCHEFFERVS, & conferri præterea possunt qui de Pythagora & dogmatibus ejus præter antiquos & jam citatos egerunt. JOH. JONSIUS de Scriptoribus Historiae Philosophicæ L. I. c. III. sqq. Dn. D. J. A. FABRICIVS in Bibliotheca Graeca L. II. c. XII. p. 449. & quos citat de ætate Pythagoræ potissimum agentes. RICHARDVS BENTLEJVS & HENR. DODWELLVS in diss. de ætate Pythagoræ Philosophi, Lond. 1704. in primis etiam DACIER dans la vie de Pythagore, ses symboles, ses vers, Paris. 1706. qui præcipue ea tradit, quæ aperte monstrant ejus Philosophiam ex Hebreis esse desumtam. Conf. etiam ABRAHAMI GRAVII Historia Philosophica, p. 125. sq.

§. IX.

Quæ de Ionicæ sectæ cultoribus dici possent, pratermitto. Socratem, qui ex ista ortus caput præ reliquis maxime extulit, (1.) audivit Plato. Sed non Socratem audivit solus, adiit etiam Aegyptios, (2.) ibidemque occasionem nauctus est cognoscendi studia inter Ebraeos florentia. Nec sufficere sibi vidisse putant, nisi ipsa sacra volumina perscrutatus fuisset; Plura ex Platone adducit loca SPENCERUS (3.) quæ lectionem scripture sacræ redoleant, nec alieni sunt ab hac sententia eruditæ varii, CLEMENTIS ALEXANDRINI & EUSEBII autoritate adducti, quamvis hanc controversiam non nostram facimus. Cum non sit hujus loci inquirere: an extiterit alia quædam sacri codicis versio Græca, priusquam septuagintaviralis prodiret, quamque Plato viderit? Conferri possunt, qui hanc rem accuratius tractarunt P. D. HVETIVS & B. KORTHOLT. (4.) In moralibus maxime consentit cum Pythagora, videatur MAGNI DANIELIS OMEIST Ethica Platonica. (5.)

(1.) vid. CHARPENTIER de vita & dogmatibus Socratis à THOMASIO ex gallico in vernaculari lingua translatu. (2.) v. LACTANTIUS I.c. & ABR. GRAVII hist. phil. p. 32. sq. (3.) In notis ad Origenem contra Celsum p. 36. & confer qui vel consensum vel dissensum Platonis & scripture S. ostenderunt magno numero citatos a Dn. D. J. A. FABRICIO Biblioth. gr. I. 3. p. 39. sq. vid. etiam CL. FLEVRY dissertatio de Platone ejusque philosophia. CLERICO, qui Tomo X Bibliothæ universali & alibi negaverat, Platonem litteras sacras evoluisse obyiam ivit P. BALTIUS in defen-
se

Se des saints Peres, accordez de Platonisme Paris. 1711.
 4. libro IV. circa finem v. JOURNAL des Scavans. a.
 etq. 1711. Mens. Martii. p. 243. ifsq. (4) Ille in *Demon-
 stratione Evangelica Propos. IV*; *Hic de variis SS. edi-
 tionibus*. (50) prodit Altorffi. 1696. Vid. G. PASCHII
Diss. de re literaria, potissimum morali Platonis.

X.

Platonem excipiat ARISTOTELES. De quo
 judæorum certe opinio est, quod captis ab Alexandro
 Hierosolymis, thesauro librorum Salomonis præ-
 fectus, multa ex iisdem furatus fuerit, quæ sub suo
 venditaverit nomine, admixtis pessimis quibusdam
 opinionibus; (1.) Et quod magis mirum videri pote-
 rat, refertur adeo a quibusdam inter Proselytos justitiæ,
 (2.) aliis usque adeo de matutinis precibus hujus Phi-
 losophi differentibus. (3.) Sed quicquid hujus sit,
 istud majorem veritatis præ se speciem fert, quod
 JAC. THOMASIU^S (4.) ex CLEMENTE ALE-
 XANDRINO adducit. Aristoteli plurima & præ-
 cipua dogmata ex Platone desumisse, unde iterum
 concludere licet de redundantie studiorum ex Ebrais
 ad reliquas gentes utilitate.

(1.) vid. JAC. THOMASIU^S de Plagio literario §. 364. p.
 160. qui hac ex J. B. GARPOVII programmata quo-
 dam, traducentis iſſac ex Schevile amunab, affert. (2.)
 citatis ab HOTTINGERO in thesauro phil. 1. 1. c. 1. f.
 3. p. 18. (3.) adducuntur istæ à Dn. D. J. A. FABRI-
 CIO Bibl. gr. 1. 3. c. 6. p. 162 ex BARTOLOCCHI bi-
 bliotheca rabbinica magna: Qui easdem desumit ex
 MSC. quodam Ebraico, cui titulus **בָּסָר וְפִלּוֹסֶופִיָּם**. (4.) l. c. p. 161.

§. XI.

At vero si quis exinde concludere velit, pro concordia inter gentilium & Christianorum religione asserenda: ut vel Platonem Mosen atticissantem, (1.) aut suaviter cum Scriptura S. consentientem, Aristotelem pium ejusque cum verbo Dei consensum (2.) probare velit, illum a nostra maxime alienum sententia fatemur, & opponimus isti verba JAC. THOMASII. *Sæpe in eam senteniam descendit, melius eos de fide sacra mereri, qui discordiam profana Philosophia cum Christiana intercedentem fideliter detegunt, quam qui tenebras inter & lucem pacisci pergunt.* (3.)

- (1) docet hoc passim in perenni *Philosophia AUGUSTINUS STEUCHUS.* it. MUTIUS PANSA de osculo s. consensu Ethnicae & Christianae Philosophiae, aliisque. (2) Conf. J. ZEISOLDUS, *de Aristotelis in illis, que ex lumine naturæ innatescunt cum Scriptura S. consensu & ab ea apparente dissensu.* & præter hunc quamplures alii. (3) *De exustione mundi stoica, Thes. XIX. p. 29.*

§. XII.

Sic cum reliquis literis studia morum emanarent ad gentiles, sed ipsimet malitiose resistebant, ne intentum a Deo scopum attingerent. Interim calamitates quibuscum Judæi conflictabant, impediwerant, quo minus studia olim maximi aestimata tolerent, & debitum ipsis pretium ponerent. Mutato vero aliquantis per rerum statu, restitutique Patriis,

triis, a quibus hactenus abesse debuerant sedibus, credibile est, majori eos quoque studio accessisse ad studia quæ derelicta hactenus jacuerant. At vero cum cessaret donum Prophetiæ, paulatim decrevit vigor & puritas sanæ doctrinæ, & quæ quandoque negligentia studia in primis moralia, antea fuerant tractata, jam etiam corrupta tradebantur. Scilicet, redibant hæc studia ad priscas origines, sed quasi per putidos delata canales: unde etiam secum aliquid impunitatis ducebant.

§. XIII.

Quis dubitaverit, receptam a Pharisæis sententiam de Transmigratione animarum esse fœtum a Philosophis gentilibus exclusum; (1.) Neque minus certum est, quæ iidem & adhuc crudius Essæi de Fato asseruere, (2.) esse Stoicorum prolem a Judæis suscepptam; At qui inevitabile fatum statuunt, omnem simul moralitatem tollere videntur. Enimvero qui usque adeo spem omnem obtinendi vel præmii vel poenæ post hanc vitam tollunt, egregium simul tollunt omnis disciplinæ moralis fundamentum. Feerunt idem ex Judæis Sadducae, (3.) quos quidem ab autore Sectæ suæ hanc doctrinam accepisse negant plurimi; ast cum Epicuraorum dogmatibus convenire eandem, nemo facile negaverit. Taceo plures hic similes errores enarratos ab iis, qui de Sectis Ebræorum accurate & ex instituto egerunt.

(1) Pha-

(1) Phariseos hanc **μετρευσίν** statuisse docet JOSEPHUS de Bello Iudaico I. II. c. VII. in quo convenit ipsis cum Pythagoreis maxime reliquisque inter gentiles. v. DIOGENES LAERTIUS. p. 214. in Pythagorā, editionis Londinensis in folio. it. STANLEJUS in Historia philosophica, & SALDENUS in otiosis Theologicis Dissert. de Pharisaeis. (2.) vid. qui hanc rem deducit Thomas GODWIN in Mose & Aaron I. r. c. 12. & ad EUSEBII H. E. L. ii. c. 22. VALESIUM in notis, qui observat inter alia, in enumeratione sectarum Judaicarum ibi omissos fuisse Esseos, quod iisdem Patres Ecclesiae supra modum laverint. p. 80. a. (3.) docet id JOSEPHUS I. c. & ipsa Scriptura S. Matth. XXII. 23. & Act. XXIII. 8. sq. LIGHTFOOTUS ad I. c. Matthiae varias observat phrases inter Hebreos usitatas, quibus obviam irent portentosae huic opinioni. His annumerat distinctionem inter **עולה חתך** & **עלת חתך** (4) **עלת חברה** adducitque locum ex Berachoth f. 54. r. ad finem omnium orationum in templo dixerunt **עד שרים** cum vero irrumperent heretici, (Sadduceos puta) dicerentque non esse seculum nisi unum. scilicet est ut diceretur **מן הרים ועד הרים** p. 351. conf. contra Voluum de Idol. genti p. 351. I. r. 8. 10. SALDENUS II. c. Exercit. 11. ap. 559. PLUTARCHUS, quod non sufficiat utri posse secundum Epicurum & STANLEJI Hist. phil. orient. Parte XII. p. 1051. de Ethica Epicuri sed sutorum operis in primis operibus hoc significare possit. Namque **בלמיין ג' פון בירקנאו** (5) **טרכו XIV.** Nemo vero ex his, quantum constat, istis temporibus aliquid ipse literis mandavit. Nec tamen defuerunt, qui optima huc spectantia monumenta ipsi

ipſi composuerunt, quos inter autor libri Sapientia
(1.) & Siracides. (2.) In quibus pleraque ad for-
mandos mores sunt directa.

(1.) Dicitur etiam hic liber cum sequente πανάρετος.
Quem librum nuperrime Salomoni ipſi tribui me-
minimus. Sed repugnat silentium hac de re antiqui-
orum, repugnat stilus, utque cætera taceam vocabula
recentiorem ætatem spirantia, τεφανοφορεῖν Βεα-
βέον, id quod prolixè probat D. J. A. FABRICIUS
Bibl. gr. L. III. c. XXIX. p. 735. sq. ubi & de autore
hujus libri plura habet. (2.) An ab hoc Autore di-
ſtinctasint sententias disputatur. Discrepant hic
autore Scheberh Jehuda & DAVID GANZ in Zemach
David, quos deinceps Christiani plures sequuntur, enar-
mari à D. FABRITIO, L. c. p. 734. cateroquin etiam hic
liber enumeratur à Rabbi JOSEPHO Talmudista
scriptis exterorum. Nam quando in
tr. Sanhedrin c. XI. vetant legere libros externorum
additur aliquos id explicare de li-
bris Atheis. Sed deducitur porro Rabbi Joseph dixit: etiam
vetitum est legere ben SIRA, cui vero Abhaeus oppo-
nit, מא טעטא, quanam hujus rei ratio? sibique ipſi
format objectiones, iterum solvendas. Inter reliquas
est: אילמא משום רכתיות בת לאביה מטאנות
שווה מפחרה לא ישן כליה בקתווחה שמא תחפה
בנערותא שמא רגץ בגרה שטא לא חנסה נישאת
שטא לא יותי לה בנים חזקיניא שמא תעשה כשבים
הא רבנן נמי אמור אין אפשר לעורם بلا זורות
ובלא נקודות אשר מר שבנו שקרים או לומדים
נקבות גור. Num hec ratio reddenda, quod di-
cat: Filia Patri thesaurus iniquissimus est. Pre-
eius cursu noctu somnum non capiet. Quum
parva est, ne verbis illegetur; in adolescentia, ne scor-

zetur; quando matura etate est, ne nuptiis fraudetur: nuptia ne careat prole: quando senuit, ne præstigiis addicta sit. Profecto & à Magistris dictum est: Mundus sine maribus & feminis durare nequit. Felix cuius liberi sunt mares, ve autem illi, cui liberi sequioris Jesus obtigerunt. v. J. A. FABRICIUS I. c. J. H. HOTTINGERUS *Thes. philol.* I. II. c. II. sect I. p. 517. sq. Dn. D. BULDEUS *Intro. ad Historiam Philosophie & Ebraeorum* p. 22. p. 79.

§. XV.

Reliqui circa hæc & insecuta tempora inclytis, non tam scriptis quam doctrina innotescabant, & si quæ scriptis tradebantur, non tamen ad moralem doctrinam multum conferebant; Sed maximam partem inutilibus traditionibus, (1.) superstitiosis artibus & quæ reliqua absolvebantur. Vix ac ne vix vestigia apparebant antiquæ ex Revelatione hausta sapientiæ. Non hujus loci est, enarrare Doctores tum temporis maxime claros. Fecerunt id jam pridem alii. (2.)

(1.) Circa hæc tempora *Kabbala* in primis aestimabatur. Putant enim, tum compositos esse libros cabbalisticos præcipuos, liber BAHIR & SOHAR item liber JEZIRAH, ante Talmudis tempora confecti certe videntur v. D. Buddei *intro. ad Hist. Philos. Ebraeorum* quamvis non desint qui recentiores eosdem faciant, v. BUXTOREFIUS de abbreviaturis. p. 202. sq. quod non inquiero. Res maxime confusa est Kabbala Judaica. *Practica* de qua B. PFEIFFERUS in *critica* S. p. 202. tota est impia superstitionis & magica. *Theoretica* artificialis de qua *ibidem* maxime

maxime absonta & inutilis omnibus audit. *conf. autores*
 ab eod. citati. Sed *Inartificialis* ea est, de qua quæ-
 ritur, an aliquid bona frugis in eadem lateat; aut cer-
 te an antiqua boni quid comprehendenterit, an non? præ-
 cipua doctrina est de decem Sephiroth. Plerique do-
 ctrinam de Deo ejusq; attributis inibi contineri ajunt, ut
CAMP. VITRINGA *sacrar. observat.* l. 1. c. 4. mysteri-
 um incarnationis Messia adumbrari putat, idq; probat
 tum ex figura & dispositione vocum, que corpus hu-
 manum repräsentant; tum ex vocum singularum ad
 Christum applicatione, ductu potissimum *Apocalypse*-
 os Johanneæ. **ZIEROLD** in *Introd. ad H. E.* compen-
 dium totius Theologiae Christianæ ex suo potius quam
 Kabbalistarum ingenio in eadem invenit. Alia expli-
 catio videre est in obs. Hall. T. I. obs. 1. & in Dn. D. **BUD-**
DEI *Introd. ad Hist. philos. Ebr.* §. XL. p. 277. J. G.
WACHTERUS *Spinozismum in Judaismo* præsertim a-
 pud Kabbalistas quærebat. Nec quanquam monitus su-
 am mutavit sententiam, sed in *Elucidario Cabalistico*
 a. 1706. edito p. 39. ostendit: **SPINOZA** M in Ethica sua doctrinam Judæorum, quamquam non
 absque errore & dissensu omni tradere. Enimvero,
 quicquid hujus sit, non tamen probari potest distinc-
 tio inter antiquam & novam Kabbalam, quarum il-
 la bona & astimanda, hæc vero mala & reprobanda sit.
 Nullum enim ostendi potest hujus discriminis funda-
 mentum, veteres cabalistici libri non minus absurdæ &
 obscüræ habent, quam recentiores; & quicquid de
 Kabbala boni prostat, in eandem infertur magis quam
 ex eadem deducitur. (2.) vid. Dn. D. **BUDDEUS**
 L. c. & quemlibet citat. **BARTOLOCIUM** in *Biblio-*
thecca rabbinica magna, conf. quoque **הֲלִיכֹת עֲלֵם**
 ex *editione CONSTANTINI L' EMPEREUR*

I. r. c. 2. per totum & MAIMONIDIS præatio ad
הַדָּבָר הַזֶּה f. m. 2.

§.

XVI. od supina unor

Interim ne quid periret de doctrina reliqua &
magis communi, quæ haec tenus orali traditione inter
Iudæos vigebat (1.) seculo secundo post Christum
natum, (quem optima moralis scientiæ principia tra-
dentem audire plerique recusabant.) Imperante
Antonino, R. JEHUDAH sanctus eandem collegit,
inque unum concessit fascem, unde enatus סְכָר מִשְׁנוֹת
liber traditionum, quem deinceps adjectis disce-
ptionibus circa plerosque libros perpetuo quasi
Commentario auxerunt, qui aliquot seculis post ab-
solutus est, ut BUXTORF. (2.) aliique plurimi ob-
servarunt. Pleraque in his, aut de ritibus cere-
moniisque ad superstitionem usque agunt ; aut al-
legoricas narrationes, fabulas & mille ejus-
modi ineptias comprehendunt. (3.) Videas ta-
men etiam quædam in iisdem bona, & inter hæc
aliqua ad mores formandos dicta, quæ rarius hinc &
inde occurunt, (4.) quamvis non leviter in his
fæpius errent.

(1.) De Successiva propagatione harum traditionum v.
MAIMONIDIS prefatio ad הַדָּבָר הַזֶּה POCOCKII
quoque, PORTA MOSIS it. tr. אַבְוֹת c. I. (2.) de
abbreviaturis, p. m. 243, sq. (3.) conf. Judicium Dn.
BASNAGE dans son histoire des Juifs l. III. c. VII.
Inter alia de casibus conscientiæ ab ipsis formatis in-
quit;

quit. Ils entrent à cet égard dans des détails infinités & même ridicules.

(4.) Vid. Dr. D. BLIDDEUS I. c. ubi compendium Ethices HILLELIANÆ ex tr.

exhibit. Dr. Joh. BARBEYRAC in Praefatione operis Puffendorffiani inquit : ils (les Juifs,) sont plus jaloux de leurs droits & plus attachés à discuter quelqu' point de discipline, où, quelques questions abstraites, que soigneux d'étudier la morale.

At ne quid deesset, quod ullo modo valeret ad destructionem bonarum disciplinarum, frequentes inter Talmudicos Doctores reprehendebantur,

sc̄bōרָאִים seu Dubitantes dicti. De his (1.) dicunt:

Doctrinam ipsorum tantum opinionibus & Disputationibus in utramque partem constitisse. Videntur quasi similes Probabilistis, quibuscum adeo etiam eruditæ & prolixæ comparantur a SAMVELE RACHE-

LIO. (2.)

(1.) Vid. BUXTORFFII Lex. Talm. sub hac voce. (2.)

In Examine probabilitatis, quam Jesuite novique casuistæ, Theologia sue moralis fundamentum constituerunt, annexo LUDOVICI MONTALTI literis Provincia-
libus. nam cum dixisset, pag. 6. in quo consistat hæc pro-
babilitas Jesuitica, addit: Academicos quidem longe su-
perant impieata, & in easdem se difficultates induunt,
quibus dementati herent, Ebraicorum magistri. Hi quippe omni ratione procula à non dubitanti profiteri: con-
tradictorias Rabbinorum sententias utrinque veras esse.
In quo probando longus est in subsequentibus. An-
numerantur iisdem ceu signiferi R. AHAGEBIHA

& AHADBOVI, in clavi Talmudica p. m. 21. Tr. I.
c. 2. v. etiam Dn. BÄSNA GE dans l'histoire des
Juifs. I. c. 1.

§. XVIII. Intra
ne quez male tradita
erant in Talmude, pejus amplectebantur & pessime
defendebant. (i.)

Neque expectanda sunt posthac feliciora tem-
pora : potius magis magisque in pejus ivit omnis
moralis disciplina. Namque ut inceperant quisquiliis
inutilibus delectari, ita sicuti animum ad studia ap-
pellerent eisdem augebant. Nam quæ male tradita
erant in Talmude, pejus amplectebantur & pessime
defendebant. (i.)

(i.) Namque usque adeo ipsi divino verbo a quibusdam
præferebat, conf. quæ ex scriptis posteriorum tem-
porum docet BLAUSTORFFUS de abbrev. p. m. 235 & in
synagoga Judaica p. 63. Ita RASCHI ad Eccles. v.
cap. ait. מל במקרא ובמשנה ערנו ארוך להווות
נערך לבעל גמרא. Quasr Rex & admodum pro-
fectus in studio Biblico & Mischnico, servus sit haben-
dus studii gemarici.

§. XIX.

Ut vero ordine procedamus, notandum; maxime
barbara & infesta studiis omnibus secula studiis
quoque inter Judæos receptis funestam mortem attu-
lisse. Insecuta enim tempora pauca saltē nomina re-
liquerunt eorum, qui literati in hac gente fuerunt.
Quorum Catalogum & Historiam necit juxta seriem
seculorum HOTTINGERUS in Hist. Eccl. Donec Sec.
XII,

XII. & in sequentibus iterum ad studia redirent. Et hic quidem in excolendo studio morum ita sunt versati, ut id delibarent portius quam exhauiarent; quin satis infelices etiam morum Doctores se se ostenderent. Id vero egerunt, partim ubi vel clarius vel brevius in Talmude tradita exhiberent; vel Scriptores sacros Commentariis illustrarent; velex instituto moralia tractarent. In quibus quidem enarrandis ut breves ducamus lineas, instituti ratio jubet.

§. XX.

Circa Talmudem plurimorum studia occupata fuerunt. Sed prater eos, qui Commentariis hoc opus illustrarunt, (1.) cum textu ipso maximam partem editis, fuerunt quoque qui stilo elegantiori res inibi contentas exponerent: (2.) aliis in id alloborantibus, ut iis, quae fabulis poterant annumerari, explicatione aliqua subvenirent, & abstrusos quos jastant sensus, pro viribus aperirent. (3.) In quibus quidem plerique non minus quedam moralia pertractata deprehendes quam in Talmude ipso, sed ut nec evitarent ea, quae in eodem notabamus.

- (1.) Ex quibus quidem aliqui circa Mischnam tantum, alii quoque circa Gemaram occupati fuerunt. Extant autem plerique cum ipso textu Talmudico excusi & in BUXTORFFII Biblioth. R. p. m. 104. & a Dn. D. BUDDEO l. c. p. 124. & aliis indicati. (2.) Huc in primis referendum elegantissimum opus MAIMONIDIS ר' קידר מ' dictum. In quo, nitido & fluido Ebraico stilo explicantur doctrinæ Talmudicæ, multique proin-

proinde in translatione variorum ex hoc opere fractatum desudarunt. Non minorem huic rei operam impendit *Autor* אַרְבָּע תּוֹרָם de quo vid. Buxtorf. Bibl. R. it. in voce אַרְבָּע & אַלְפָסָן. (3.) Spei stat hic liber, cui titulus in quo allegoria Talmudica genuino sensu explicantur ex instituto. Frequenter quoque idem sit in ספר הרושי אֲנָגָרוֹת עַל קלשׁות תלמוד novis explanationibus Historiarum, tunc opere Talmudico comprehensarum, Francof. ad M. num Ann. 1683. fol.

§. XXI.

Inter commentatores Scripturæ sacræ ex Judæis non adeo multi sunt, qui frequenter moralia tractent. In Commentariis illorum allegorici & mysticis unum illud egregium prædicant aliqui, quod testimonia exhibeant veritatis religionis nostræ. Sed multa hic de Commentatoribus eorundem distinctionibus & diverso instituto prolixè tradere velle, & a scopo nostro alienum & res magni laboris foret. (1.) notamus solum tres præcipuos ad nostrum institutum facientes. Hos inter primum locum obtinet R. ABENESRA, in cuius quidem ætate inquirenda ex R. DAVID GANZ & autore JUCHASIN aliisque anxius est BARTOLOCCIVS (2.) qui pariter de scriptis ejusdem plura habet. Sed ad nostrum in primis scopum facit ejusdem Commentarius in Pentateuchum. In quo ut in reliquis studiorum partibus ita & in moralium, non prorsus hospitem se esse testatur. Quamvis nec in eodem desint plurima, quæ magnam spirant impietatem. (3.) Post istum ponendum est R.

LE.

LEVI BEN GERSON Commentario in legem notissimus, qui ut in Philosophia omni, ita quoque in morali satis se versatum ostendit. (4.) Præcipue vero hoc referendus ABARBANEL, circa finem seculi decimi quinti scriptis & ore celebris (5.) qui varia quoque moralia tradit in commentariis, quos super plurimos Sacri codicis libros dedit, cuius non modo specimen exhibuit Dn. D. BUDDEUS; sed & alii, multa ex ejusdem scriptis in Latinam Linguam transferendo. (6.)

(1.) V. RICHARDI SIMONIS *H. C. V. T. & HEIDEGERI encyclopidion bibliicum, passim.* (2.) v. ejusdem *Bibliorheca Rabbinica magna.* T. I. p. 36, b. prolix. De SPINOZA constat, quod, cœu ipse fatetur, multa de impiis suis hypothesibus desumpta sint ex Aben Esra, qui certe occasionem ipsi dederit; Ita tamen, ut venenum, quod Judæus ille alebat, teste solum propinaret, scribendo: רְבָנָה הַנְּעָרִם וְשָׁנָסָךְ ad Gen. VI. 16. Gen. II. 13. &c. citatque BARTOLOCCIUS l. c. anonymum quandam, qui in codice MSC. Bibliothecæ Vaticanæ loca hæc illustraverit. (4.) v. BUXTORFII Bibl. Rabb. p. 92. & 135. (5.) de variis ejusdem fatis, scriptisque vid. NICOL. ANTONII *Bibliorb. Hispan.* t. 2. p. 686. (6.) Bayle in voce Abarbanel T. I. p. 39. *Dictionnaire historique & critique* it. *Acta eruditorum* a. 1686. mensi novemb. p. 527. sq. (6) quos inter L' EMPEREUR, SEBALDUS SNELL & alii.

§. XXII.

Inter eos denique, qui ex instituto moralia pertractarunt, vel maxime notabilis est R. BECHAI,

D

di-

diversus omnino ab eo , qui scribendis Commentariis inclaruit. Compositum ille librum sub titulo **הַקְבָּלָה** obligatio sive officium cordium . Juxta autorem Schal Schelet **Hakkabbala** vixit ante Aben-Esram , librum vero Arábica lingua compositum , ex qua in Ebræam translatus est a R. JUDA Aben Tibbon , summam totius hujus libri variasque editiones exhibet BARTOLOCCIOUS . (1.) Qui idem notat synagogata morum R. JUDA **Hachafid** & aliorum ex hoc desumpta esse , librumque cui titulus **מַרְגָּלֹתִים** ejusdem esse Compendium , qui pluribus videri potest . De moribus quoque quædam habent **בַּיִם מְרוֹתִים** & **אוֹרָהָתִים** ut suis locis observat BUXTOREIUS (2.)

(1.) vid. Biblioth. Rabb. M. T. I. p. 644. sq. ubi etiam obseruat , translatum esse hoc opus in linguam Hispanicam , multaque de eodem habet , & imprimis contra PLANTAVITIUM disputat . Idem docetur in **שְׁפָטִים** וִשְׁנִים prolixe , p. m. 23. lit. II. n. 7. (2.) vid. siphre jeschaim l. c. p. 9. & 13.

§. XXIII.

Difficilis jama supereret labor exhibendi ulterius , quam supra fecimus specimen aliquod Philosophiae moralis Ebræorum : nisi onere isto nos liberaret & impossibilitas ex tam dissonis , quales in horum scriptis sunt sententiis , consonam & harmonicam disciplinam nectere , & ex dissolutis parumque cohærentibus scopis systema aliquod conficere aptum beneque cohærens . Satisficerimus , ut puto , instituto

to nostro si extantiores n̄evos erroresque quorundam
brevibus indicaverimus.

§. XXIV.

De animarum immortalitate, aperte ita sentit KIMCHIUS, ut impiorum mentes annihilatum iri aaserat. (1.) Quam quoque sententiam MAIMONIDI tribuit B. PFEIFFERUS. (2.) Virtutem aliqui cum Aristotelicis in mediocritate constituunt. (3.) De origine mali absurdissimam sententiam ex Pirke ELEASARI exhibet J. WINDETUS. (4.) quasi scilicet in creatione mundi lacunam Deus reliquerit in Septentrione, ex qua deinceps omne malum evolaverit & mundum inundaverit. Quamvis vero id WINDETUS de mali possibilitate explicet, quam innuerre hac assertione videatur; attamen sine ejusmodi ineptis idem dici potuisset.

(1.) Ita in Commentario super Psalm. ii. docet תָּאכַר נְשֵׁם עַם זֹהֶם בְּזַמְּנֵת הַמִּתְּמָמָה p̄ibit anima cum corpore in die mortis illorum. (2.) vid. Dub. ejusdem vexata cent. L. XLIV. ita enim ille p̄enam neglectæ circumcisioñis, qua voce קָרְתָּה indicates, explicat. (3.) Sic expresse BARTENORA ad c. II. §. i. tr. אֲבֹתָה ad vocem יְבוּר. זֶה יְהִי כְּשִׁילָר בְּכָל המוֹת בְּרוּךְ רַחֲמָצָע. (4.) Quæ (de recta via sermo erat,) hæc est, ut incédat (homo) in omni virtute via media, neque inclinet ad unum ex duobus extremis. (4.) vid. ejus liber De vita funitorum statu ex Ebraeorum & Gracorum comparatis sententiis concinnatus, verba quæ citat sequentis sunt: Sect. V. p. m. 77. רֹוח פְּנַתְּךָ צְפֹן כְּרָא וְלֹא גְּמָר לְפִי שָׁמֵר כְּלָמִי שִׁיאָר.

שְׁחָוֹא אֱלֹהָה וּבָא וּגְמֹתָר אֶת הַפְּנִיתָה הַוְּנוֹתָת (תְּאֵרֶת) Cardinem plaga septentrionalis creavit (Deus,) nec tamen consummavit eum. Dixit enim, quicunque se Deum esse dixerit, eat & consummet istam plágam, quam imperfectam reliqui, & scient omnes eum esse Deum. וְשֵׁם הַזֶּה מְרוּם וְלֹוּשָׂוֹת וְלֹרְוֹת וְלֹשְׁרִים (וְלֹשְׁרִים 1.) לְרוּקִים וְלְרוּעִים וּמִשְׁמָרָה יוֹצָא לְעוֹלָם שֶׁן (ירט מִצְפָּן תְּפִיחָה דָּרָעָה WINDETUS) nocivorum & terribilium, spirituum immundorum, fulgurum & tonitruum, & illinc malum in mundum pervenit ut dicitur Jer. 1.14. a septentrione proruit malum v. Pirké Eleazaris edit. Lubl. 4. p. m. 4. Col. 2.

Ita in doctrina de conscientia dubia non simplificiter sunt probandi, quando ajunt quod & notat GROTIUS. (1.) Similem errorem de rinvito rejicit PUFFENDORFIUS. (2.) In officiis erga se ipsum hominis, non defant, qui usque adeo errant, ut *αὐλοχειρίαν* in certo casu cum pessimis gentilibus quibusdam licitam praedicent. (3.) In officiis denique aliis exhibendis quantopere hallucinentur, vel id documento esse potest, quod facultates gentilium, quo nomine Christianos quoque comprehendent pro desertis habeant, et repta peregrinis restituere debere negent. (4.)

(1.) De Jure B. & P. I. 2. c. 23. p. 1006, namque addit: *Locum hoc habere non potest, ubi alicui omnino alterutrum est faciendum, & de utroque an equum sit dubitatur.*

(2.) De

(2.) De jure naturæ & gentium l. i. c. 13. §. ult. (3.) docet hoc ex JOSEPHO & PHILONI, in libro II. c. XIX. §. v. de J. B. & P. (4.) perstringit hunc errorem CONST. L' EMPEREUR notis ad *Bava Kamma* c. IX. §. II. & BUXTORFIUS in lexico majori sub voce נכסי הגויים כמרכבר נקס adducit dictum Talmudicum, *כל חתוק ברון זכה בהן omnes facultates gentilium sunt instar deserti, quisquis eas occupat, illi cedunt.*

§. XXVI.

Hactenus historice enarravimus, quis studii moralis Vigor inter Ebraeos fuerit, ejusdemque naves quosdam deteximus; nam vidimus, studium hoc in flore maximo antea constitutum, sensim decrevisse, ita ut primum neglectum, deinceps adeo etiam depravatum fuerit. Superest ut pro modo nobis constituto, ut hactenus, breviter inquiramus in causas horum defectuum, easdemque ordine recensemus.

§. XXVII.

Omissis pluribus aliis (1.) sequentes notamus: Non minima hujus rei causa est summa mentis obtenebratio; quod Servatorem mundi, qui inter ipsos verlabatur, & receptos tum errores saepius ipsis oculos ponebat, consummatissimumque morum Doctorum se praestabat, venerari, suscipere, ejusdemque dictis obsequi recusabant (2.)

(1) Ita BASNAGE dans l' histoire des Juifs l. II. p. m. 259

ait : une des principales causes des malheurs de la Ju-
deè fut la division, qui la déchira. Le Schisme de Sa-
marie entraînoit une partie de la nation. La haine
qui se devoit rallement par la dureé des siecles, & par
la misere, subjesta. La guerre par laquelle Dieu ven-
gea la mort de son fils ne renuit point les esprits - -
Ouvre le schisme la nation étoit divisée en sectes dif-
ferentes &c. (2.) vid. HOSMANN in dem schwer zu
bekehrenden Jüden-Herze.

XXVIII,

Accedit nimium sui præ reliquis gentibus æsti-
mum. Nam cum quondam singulare Dei pecu-
lium electusque Deo populus audiret, adhuc dum sibi
præ reliquis nationibus omnibus sapere videntur (1)
& de aliis non nisi abjecte sentiunt, (2.) Quis
igitur mirabitur : eos non penetrasse ad culturam
disciplinæ moralis, cui inter Christianos maximum
omnino plerumque pretium est positum, aut quæ cer-
te nullibi elegantius aut melius addisci potest.

(1.) Hinc est, quod in Kidduschim f. 49. citante BUX-
TORFIO in lexico, voce קָבֵן dicant : עֲשֶׂרֶת קָבִין כְּבָה יְהוָה לְעֹלָם תְּנַתֵּה אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל וְאֶחָד כָּל
הַעֲלָם כְּלֵי. i. e. Decem cabi sapientiae venerunt in
mundum, novem accepit terra Israelitica & unum, mun-
dus reliquus. (2.) Namque diris execrari Christianos
dicuntur quotidie, cuiusmodi formulas inter eos usi-
tatas exhibet BUXTORFIUS in *Synagoga Judaica*. Et
quod mireris, videntur alicubi in brutorum classem re-
ferre Christianos. MAIMONIDES ad Bava Kamma c.
IV. 3. כְּשָׁרָאָרְךָ יִזְׂרָאֵל עַמּוֹ גָּזִי דֵּין בֵּינֵיכֶם כְּרֹחוֹא
אֲם

אם יש לנו ברינויים וכות נרין להם ברינויים ונומר
להם כך רונייהם ואם טוב לנו ברוננו נרין להם כמי
דיננו ונומר לו כך רוננו ואל תחתמת על דבר זה ואל
יקשה בענין כמו שלא יקשה בענין שחוות
הבהחות ואף על פי שלא חטא לפיו שמי שאין בו
שלימות המרות האנושיות איננו בכלל הארים על
האמת אבל הטענות מציאותו לצורך הארץ.

Quum
Israelitæ controversia est cum gentili, conditio litis in-
ter ipsos talis est, si nobis est in illorum juribus com-
modum aliquod, ipsos secundum jura sua judicabimus,
iisque dicemus: sic postulare ipsorum jura. Quod
si nobis in jure nostro appareat aliqua utilitas, judica-
bimus ipsos secundum jus nostrum, iisque dicemus, sic
postulare jus nostrum. Neque mireris hac de re,
nec durum videatur in oculis tuis; sicut dura sive cru-
delis tibi non videtur mastatio bestiarum, quamvis non
peccaverint: Quia cui non inest perfectio virtutum
humanarum, inter homines non comprehenditur re-
vera: sed finis essentia ipsius est, ut hominis neces-
sitati inserviat, vid. quoque M. SIGISMUND HOS-
MANN I. c. p. 35. & append. p. 1. sq.

§. XXIX.

Non parum quoque detimenti cepit hoc stu-
dium exinde, quod sapissime literalem sensum ad-
scriberent iis, quæ non nisi allegorice intelligenda sunt.
(1.) Inanemque gloriolam captarent in querendis ibi
allegoriis, ubi nulla deprehenduntur. (2.) aut in-
ferendis, ubi non nisi cum detimento admittuntur.

(1.) Observat hoc ipsum LEUSDENIUS in Philol. Ebræo
mixto, Dissert. XIII p. 95 exemplisque comprobat. ita
etiam ORIGENES περὶ ἀγκῶν c. II. Judæos taxat,
quod

quod maximum sibi impedimentum conversionis ad Christum posuerint, quod que allegorie ad Christum applicande erant, literaliter intellexerint, alterque quam fas erat explicarint. (2.) Patet haec res ad oculum, si quis vel unicam e Talmude paginam evolverit. Evidem SPENCERUS l.c. supra, l.T. c. 2. eos Aegyptios imitatos fuisse asserit, qui Hieroglyphicis signis omnia involvebant, quod vero non inquirro. Extendebant autem quod certum est nimis hunc allegorandi morem, neque Theologica tantum, sed & historica & moralia allegoriis involvebant. conf. sub præsidio H. J. de BASHUISEN habita dissertatio de Allegoriis Rabinico-Talmudicis. Audiamus hic CLERICUM qui in Biblioth. Selecta. T. XXI. p. 201. ita loquitur. *J' ai toujours cru, que la plupart des hommes sont si grossiers & si pezans, qu'ils ont bien de la peine à entendre la vérité, lors qu'on la leur propose le plus clairement & le plus simplement du monde, & que par consequent, il faut mieux s'abstenir de fables & d'allegories pour les en instruire, puisqu'elles ne servent qu'à l'obscurcir. Souvent même on trouve sous une allegorie avec peine, ce que tout le monde sait. &c. vid. etiam Historia ARISTÆ de LXXII Interpretibus edit. Oxon. 1692. p. 48. sq.*

§. XXX.

Evidem qui omnem Apologorum, Aenigmatum & que his similia sunt usum eliminare vellent, ad modum imprudenter ageret. Sapientissimus noster Magister JESUS sape hujusmodi indumentis elegantissima dogmata vestiebat, & ut veritates coelestes eo efficacius audientium animis imprimeret, μικρὰ τὸν μεγάλων σομβρία faciebat. Neque sua proorsus laude de-

defraudandi sunt, qui ex antiquis hunc tradendi moralia modum amabant, (1.) sed in tantum, in quantum modum amabant; nam quandoquidem exce-debant, & allegorias sectabantur μαρτυρίας καὶ πολλὰς γένεται εχόστας οὐτε ναοῖς, merito improbantur.

(1.) v. Georgius PASCHIUS de variis modis tradendi moralia c. II. p. 82. sqq. it. BACO de VERULAMIO in de sapientia veterum Libro, qui inter opera ejus Lipsiae edita prostat, p. 1248 sq.

§. XXXI.

An numero etiam causis corruptarum inter Ebraeos disciplinarum in primis moralium, commixtionem Philosophiae gentilis, quae post captivitatem Babylonicam inter ipsos caput extulit, & ita quidem, ut receptos inter gentes errores veheret secum. Quae res ex superioribus constat.

§. XXXII.

Nec immerito additur ab aliis ignorantia justorum subsidiorum, in primis ratio solide inveniendi verum. (1.) Quod quidem non de defectu naturalis sed acquisitae perfectionis capiendum est, quae certis regulis monitisque obtinetur. Quippe per isthac aptitudo in habitum deducitur, & quae scientia rerum alias difficulter obtinetur & non ita accurate, per haec accuratius & longe facilius sese animis nostris insinuat. Hæc vero media ipsis defuisse certum est. (2.) Nam ut olim viri Theopneusti iisdem non indi-

E

ge-

gebant, ita insecuris temporibus cum maximo detri-
mento defuisse deprehenduntur. (3.)

(1) vid. J. BARBEYRAC. I. c. s̄epius. (2) Quicquid hu-
jus rei tenebant, aliquibus regulis hermeneuticis, iisque
& satis obscuris & satis ineptis absolvebatur. omnium
celebratissimæ sunt regulæ interpretationis R. ISMA-
ELIS tredecim. Plurimi eas recensuerunt atque expli-
carunt. B. SCHERZERUS in trifolio orient. p. 92.
HOTTINGERUS in thes. philol. p. 560. sq. Videri quo-
que posſunt in Halichoth olam I. IV. c. I. p. 112. & in
fasciculo quarto opusculorum, que ad historiam ac phi-
lologiam sacram spectant p. 417. sq. Notæ etiam sunt
regulæ R. ELIESERIS, enumeratae pariter in
Halichoth olam p. 114. sq. ubi prolixè inquiritur qua-
re R. Ismael noluerit singula 32. monita R. Elieseris
proponere. Inter alia inquit, **הארלא חסיבר' ישמעל'**
כל הלוּב כמותו הוֹג לֹא מֵצָא אֶרְם הַוּלָק עַלְתָּם נָג'
Ecce, quod D. Ismael omnes XXXII modos non
connumeraverit, quemadmodum tredecim istos, ideo
factum, quia istos XIII nemo impugnat. conf. pluribus
M. JOH. JUL. STRUVIUS in rudimentis *Logica Ebre-
orum ex Judæorum scriptis erutis*. Jenæ, 1697. (3.) In-
secura quidem atate occupati fuerunt aliqui in hoc
studio excolendo, Aristotelicum philosophandi mo-
dum observantes. v. STRUVE l. c. Præcipui sunt R.
SIMEON qui scriptis S. Logicam, Basilee editam,
1527 itemq; autor libri **כח היגון לארכטוטלוס סקוטריי** compendii logica aristotelice. Alios vide l. c.

§. XXXIII.

Non poterat igitur solida quædam scientia obti-
neri

nari eorum, quæ ad vitæ morumque honestatem farcerent. Neque mirum est, si contra ad levia ineptaque animum applicarent, ad quæ ductū harum regulärum omnino agebantur. Sic ut res uno exemplo fiat clarior, in loco Notationis ita progrediebantur, ut ex vocum literis, ex computatione valoris literarum &c. argumenta desuinerent. Namque etiam hæc est inter Regulas Elie seris num. XXXI, משלשון נורא רקון ex sensu per Notaricon eruto, & num. XXXII, משלשון גמatriا אס להשכון אהותות אס לחיזוף זו בזו per Gematriam eruto, sive literas computando sive invicem permutando. Quam justæ sint exinde deductæ sequela, facile est colligere. (1.)

(1) Vid. hujus rei specimina apud eos, qui de Kabbala Judæorum literali egerunt. B. PFEIFFER US it. HACKSPAN de *Kabbala Judaica* & plurimi alii.

S. XXXIV.

Addi poterit taxata in superioribus consuetudo in diversas partes disceptandi; Ita tamen, ut quæ vel contradictorie ab utraque parte asserebantur, pro infallibiliter veris haberentur. Quæ sane maxima & periculosissima omnis veræ certaque scientiæ pestis est.

S. XXXV.

Quod si vero dilabantur interdum ad moralia,
E 2 ordi-

ordinem ubique desideraveris, paucas rarasque paraneses, (1.) plurium vero eorumque maximam partem inutilium, & vix sepe possibilium casuum abundantem segetem invenies, (2.)

(1.) Hujusmodi quædam habentur in prioribus capitibus tr. אבות (2.) Horum exempla desideranti occurrent in primis in *Bava Kamma*, mezia & batra. (2.) Ubi de damnis aliquæ ad minutias & incertias usque dilabuntur sapissime.

Jam, cum per instituti temporisque rationem non nobis liceat esse prolixioribus; Hæc de Fatis studii moralis inter Ebræos

SUFFICIENT.

VXXX 2

CO-

VXXX 2



et nullum est quod non
ad illud pertinet. IV

COROLLARIA.


- I. Nulla rei Forma recte dicitur substantia,
- II. In communioribus Logicis multa de Figuris & modis syllogismorum & regulis huc spectantibus traduntur superflua.
- III. Ad Qualitates occultas in reddendis causis Physicis non temere est confundendum.
- IV. Philippus Arabs Imperator non est inter Christianos locandus.

V. UL

• ♦ (o) ♦ •

- V. Ultimi ante destructionem Imperii occidentalis Imperatoris nomen verum non fuit Augustulus.
- VI. Non datur lex permissiva.

CORONARIA
FINIS




AU.V

99 A 6989




56,

Retro ✓



Farbkarte #13



B.I.G.

22
HISTORICO-MORALIS
DE
ATIS
MORALIS
REBRAEOS
QVAM
NTE INCLYTA FACVL-
E PHILOSOPHICA
IÆ LIPSIENSIS
PRINCIPVM AVDITORIO
AVDITORVM DISQVISITIONI
SISTET
PRAESES
CVS SCHARBAV
BECENSIS
E-MERIDIANIS SINE ET
ST-MERIDIANIS
CVM
RESPONDENTE
SCHRÖDERO
ERSA - HOLSATO
ER VARII A. M DCC XII.
LIPSIAE,
RIS GOEZIANIS.